



DE.

NVMO. SCORTEO.
SCHEDIASMA.

A. O. R. M. DC. LXI. D. XVI. MARTII.
SOLENNITER.

LIPSIAE. PROPONVNT.

M. CASPAR. ZESCHEN.

ET.

GOTHOFREDVS PARSELDIVS.

R. E. A. MISNICI.

SS. THEOL. STUDIOSI.

RECVSVM WITTEBERGAE,

JO. GVILIELMI BOSSEGELII LITERIS,
M DCC XXXIX.

oll. diss. A
010, 7

a. LXX. 7

Sächs.
Landes-
Bibl.

18



DE NUMO SCORTEO SCHEDIASMA.

§. I.

In hac temporum fece, qua tanta ubivis fere locorum aeris inopia est, ut non plumbeum, aut ferreum; sed scorteum potius seculum, quāle ante Numam in Italia narratur fuisse, refflorescere videatur, operae pretium facturum me arbitratus sum, si tenui stylo & filo nonnulla, quae de NUMO SCORTEO haberi possunt, breviter deducam, & meammet auri argentique egestatem, si non aereis, coriāceis saltem curis paulisper sublevarem.

§. 2. Quemadmodum vero *Numus*, sive a *Numa* Rege Romanorum, sive a Dorico *νῦμ*, quod *Legem* significat, quia pretium *Legitimum* & publicum notare debet, sive ἀπὸ τῆς νόμου, quod sit instrumentum *tribuendi* unicuique, quod iustum & aequum est, sive denique ἀπὸ τῆς νομῆς, quod grata ejus sit *possessio*, deducatur, nos parum juvat; Ita studiosus inquirendum nobis, cur *Scorteus* dicatur.

§. 3. *Scorteus* igitur dicitur a *Scorto*, quod a *pellis crassioris* significatu, ad *meretrices*, per contemptum tanquam impudicas pelles (*garstige Schandbälge*) denotandas, apprime traductum est. Ita enim *Festus p. m. 139. l. 4. seqq.* *Scorta appellantur Meretrices ex consuetudine Rusticorum, qui, ut est ap. Atellanos antiquos, solebant dicere, se attulisse pro scorto deli-*

A 2

cula-

cularum. Omnia namque ex pellibus facta, scortea appellantur. Scortes, i. e. pelles testium Arietenorum, ab iisdem scorteis pellibus idem Verrius dictas esse ait. In quem locum eleganter Scholiafles p. 33. f. differit: Hujus loci restitutio, inquit, debetur M. Varroni, qui Lib. VII. de Lingua Latina: Scortari, inquit, est saepius Meretriculam ducere, quae SCORTVM dicta a PELLE. Id enim non solum Antiqui dicebant SCORTVM; sed etiam nunc dicimus SCORTEA ea, quae ex corio & pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris & sacellis scriptum habemus: Ne quid SCORTEVM adhibeatur ideo, ne morticinum quid adsit (Apparet hoc quoque clare fatis ex Ovidio, dum i. Fastor. p. m. 23. ita canit:

SCORTEA non illi fas est inferre Sacello,
Ne violent pueros exanimata focos.)

In Atellanis licet animadvertere, rusticos dicere, se adduxisse pro SCORTO PELLICVLAM. Ex his verbis manifestum est, pro DELICVLARVM, corrupto verbo, scribendum esse PELLICVLAM. Scortum deinceps deflectitur a Corio, S. per prosthesis, more Sabinorum, ut in Scoenum pro Coenum, proposito. Confer Martini Lexic. Philol. in voce SCORTVM.

§. 4. Hinc Scortea dicuntur illa, quae sunt e corio. Apposite in eandem hanc rem iterum Festus. p. m. 142. l. 17. seqq. Scortum, inquit, ab ead. causa, qua Scortum, vocabatur pellicum, in quo Sagittae reconduntur, ab eo, quod ex pellibus factum est, quia a pellibus nomen a σκῦρ, quod Graece pellis. Unde Syticae (Scuticae) & scuta, quia non sine pellibus sunt. Et Bartbius Adv. Lib. XXI. Cap. III. f. 1077. p. Scortea penula crasso corio confecta est, quali fiebant Vtres, qui SCORTI sive SCORTEI appellabantur, oleo capiendo, ut vetus Glossographus observat. Verba Martialis:

Ingre-

Ingreiare viam coelo licet usque sereno,

Ad subitas nunquam SCORTEA desit aquas.

Ausonius de Ventis ab Vlyxe utre comprehensis, Periocba X. Odyssaeae. Socii opes aliquas in SCORTO inesse existimantes, dormiente ipso, vincula dissolverunt, adversisque flatibus sunt relati.

§. 5. Quemadmodum ergo *Numus Scorteus* est Numus *coriaceus*, quod ex haftenus dictis collectu est facillimum; Ita quoque saepissime ab Autoribus eodem nomine salutatur. Interdum quoque *Coriarius: Loreus a Loro: Alutinus* ab *Aluta. Pellicum* autem esse dictum, nondum inveni. Et ratio hujus in promptu est. Graecis communiter dicitur *σκύτιον νόμισμα*.

§. 6. Fuisse autem aliquando hunc Numum, nihil incredibile est. Sive enim antiquam pariter & hodiernam Monetae materiam, sive per amplum olim corii usum contemplemur, non adeo videtur absurdum, statuere, potuisse simul Antiquos, inter variam Numi materiam, Corium quoque sumpsisse. Accedit, quod Vaccae, Bovis, Ovis, Suis &c. imago in antiquis monetis sit frequentissima. *Coel. Rhodig. Lect. Antiq. Lib. XII. Cap. XLIX f. 650. Hostus Lib. I. de re Nummaria Cap. III. p. 57. seq. & Cap. VIII. p. 128. seqq. Becmann. Origin. p. 362. Frisius im Münz-Spiegel Lib. I. Cap. III. p. 5. & Cap. XVIII. p. 36. seq. Martin. Lexic. Philol. voce Pecunia. Erasmus in Adag. f. 520. B.*

§. 7. Siccis, quod dicitur, foccis tantum attingemus materiae, quae ad Numos olim excudendos usurpata est, varietatem. Etenim ut de Auro, Argento, Ære, notissimis monetarum materiis, jam nihil dicamus, adhibebant olim (I) PLUMBVM. Quo de multa *Ludovicus Savot. Part. 2. de Metall. Antiq. Lipsius Cap. II. Brev. de Moneta p. 6. Frisius im Münz-Spiegel p. II. bis. Hostus de Re Nummaria Cap. VII. §. 9. p. 105. Nigritae Libyae Populi, inquit e Plumbo candido numos signant,*

quos *Majulias* nominant. Similiter *Habitatores Insulae Taprobanes*. Tu caetera, quae ibidem habet, videbis.

§. 8. Usurpabant (2) *FERRUM*. *Ovid. Fastor. l. p. 10. m. Olaus M. de Regn. Septentr. Lib. 6. Cap. XII. p. 179. Nicol. Cragius Lib. III. de Rep. Lacedaem. p. 196. 197. Lipsius & Frisius l. c. Anton. Augustin. Dial. VI. Antiq. f. 94. Cellar. p. 272. Polit. praecipue Hostus l. c. p. 102. 103. 104.* (3) *STANNVM*. *Savot. P. II. de Met. Antiq. Cap. 1. II. seq. Frisius p. 11. Cellarius l. c. Zeillerus Tom. II. Epist. 385. p. 284. Hostus p. 105.* (4) *ORICHALCVM*. *Frisius l. c. Hostus p. 104. & c.* (5) *CVPRVM*. *Cellarius l. c. Frisius p. 11. Zeill. l. c. p. 344. f.*

§. 9. *TESTARVM* quoque usum (6) in moneta fuisse, testis est *Suidas ap. Hostum p. 108.* (7) *CONCHYLIVM*. *Maffezus Lib. VII. Hist. Indic. p. 311. Boterus in Polit. Regia p. 103. Anton. Augustinus l. c.* (8) *SALIS*. *Paulus Venetus. Boterus l. c. Hostus p. 108.* (9) *CORTICIS*. *Fris. p. 12. Boter. & Host. l. c.* (10) *CORALLIVM*. *Host.* (11) *ASTRAGALORVM*. *Id.*

§. 12. *CHARTAM* quoque (12) adhibitam fuisse, testantur *Boterus p. 103. Polit. Reg. In Cathajo, ait, expenditur numus ex quadam charta nigra, quae ex illa arborum pellicula conficitur, quae inter arboris truncum, & ejus corticem reperitur: ea pellicula cum trita, contusa, temperataque glutine fuerit, signatur deinde impressione Magni Chami. Ita & Anton. Augustinus l. c. inquit: Apud Chineses e charta s. papyro duro numos in usu esse ajunt, quos exprimere possit nemo, nisi summus sit artifex. Frisius l. c. p. 12. Der grosse Cham/ der ieszige König der Scythen und Tartarn/ soll auf Papier/ und bisweilen auf Borcken von Maulbeerbäumen rund geschnitten/ seine Königliche Wapen drucken lassen/ welches die Unterthanen für Geld/ im kauffen und verkauffen/ gebrauchen/ und wenn es alt oder verdorben wird/ so giebt man*

zu Hofe ein neues dafür. *Hostus quoque l. c. Carbaini Gens Inda, monetam in usu habet papyraceam, forma quadrata, Regis imagine in ea expressa: qua vetustate oblitterata, obsoletam cum recentius impressa in Regia commutant. Io. Aubanus lib. 2. Cap. 8. de moribus Gentium.* Referendum huc quod Meteranus *Part. 1. Lib. V. der Niederländischen Historien / f. 256. b. f. de Lugdunensibus obsitis* habet: Damit es auch an keinem Geld mangelte in der Stadt/ beholffen sie sich mit papiernen Gelde/ deren etliche Stück vierzehnen/ etliche zwanzig acht (28) Steuffer golden/ welche sie nach der Belägerung in Silber verwechself: darauf stund: HAEC LIBERTATIS ERGO: Mit einem Löwen/ der einen Hut auf einer Stangen hielt. Und an der andern Seiten: GOTT BEHUTET LEYDEN. Auf andern stunden etliche Buchstaben oder halbe Wörter / deren ganze Meinung diese war: NUMVS OBSESSAE VRBIS LVGDVNENSIS SVB GVBERNATIONE ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AVRIACI CVSVS. Neben der Stadt Wapen/ und den Worten: PVGNO PRO PATRIA. Hujus sortis numi nec apud nos adeo sunt rari. Annus nunc agitur, ex quo mihi tale Numisma a Patrono quodam meo Magno monstratum est: In ejus parte una habebantur haec verba: LVGDVNVM BATAVORVM. In alterius autem partis circumferencia: PVGNO PRO PATRIA. In medio erat Leo, capite coronam Regiam gestans, cujus pes sinister scutum binis clavibus insignitum; dexter vero gladium strictum tenebat. Magnitudine hic numus nostrattem Joachimicum aequabat. Adscriptus erat annus 1597. Confer Cellarium l. c.

§. 13. Vtebantur quoque (13) PIPERE. Sic enim Boterus: *Presbyter quoque Johannes eadem arte utitur, dum granaperis expendi jubet, tanquam numos.* (14) LYTO, quo de
Lipst.

Lipſius poſt Librum de rebus Bellicis f. 202. Edit. Pancirol. qui Notitiae ſubneſtitur: Ut emendi & vendendi utilitas, & ut facultas Regiae largitati ſuppeteret, Rectores in aeris uſum excultam potius terram, & igne ſolidatam, certis quoque expreſſionibus figuratam, auro argentoque reposito uſui habuerunt. Formata quoque eodem in loco huius monetae videre licet ſchemata. (15) LAEIDIBVS. In Aethiopia, inquit Anton. Auguſt. Dial. VI. Antiq. f. 94. pro moneta quoque ſignatis uſos lapidibus, conſtat. (16) FRUCTIBVS ARBORVM, de quibus ibidem: Rerum Indicarum Scriptores pro moneta alibi inualueſſe referunt cocleas puſillas: alibi arborum fructus lapillorum duricie, quibus & Luſitani naues pro arena ſaburrent, & inter Luſitanos ualere illam ibi monetam. (17) OSSIBVS DEMORTVORVM, uti ex Ortelii Theatro refert Vir Pl. Rever. & Excell. Dn. D. Langius, Patronus Praeceptor & Promotor meus aeternum de uenerandus p. 20. 21. dedic. Ευθααςίας. Conf. ſi placet Menſelii Σαυατολογία p. 12.

§. 14. Reliquum de variis monetarum Materiis videantur poſt alios, *Coel. Rhod. Lect. Antiq. Lib. VI. Cap. II. f. 253 ſeq. Johannes a Chokier Tract. de re numaria priſci aevi. Cap. III. p. 16. 17. & Autores modo a me allegati.*

§. 15. In tanta igitur materiae copia, corium quoque adhiberi potuiſſe, a ſuſpicione non abludit, quam magis mugisque firmat infinitus fere corii uſus, qui antiquis, quam nobis, fuit notior.

§. 16. Illum ſi eo ſtudio, quo monetae materiam explicui, vellem enarrare, & dies, & charta, & Lectorum benevolentia me facile deficeret. Quapropter Lectorem ad alios, quam eundem uſum taedioſe recensere, malo. Evolve, ſi vacat, *Casparis Sanctii Comment. in Job. Cap. II. 4. nec non Jacobi Pontani Philocal. Lib. V. Cap. XX. f. 164. &*, quem ibidem laudat,

laudat, *Carol. Paschalium de Coronis Lib. IX. Cap. XXV. p. 649.*
Zeill. Itin. Hispan. p. 14.

§. 17. Sed ut res propius attingatur, uberrimus sese hic patefacit campus, ex quo Largissima Autorum seges, qui monetae hujus non meminerunt duntaxat, sed certis quoque in locis, extitisse, rotunde affirmarunt, nobis expectanda esset, ni brevitati potius, quam verborum uber- tati, studeremus.

§. 18. Paucos & selectiores quo adferamus, non prae- mittendus nobis videbatur, laudatissimus inter omnes Veteres Scriptores, *Seneca*, qui, uti est testis satis locuples, ita de Scortea quoque moneta verba prodidit clarissima, dum priscos Lacedaemoniorum e corio numos habuisse, *Lib. V. de Benef. Cap. 14.* ita firmat: *Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedaemonios fuit, quod usum numeratae pecuniae praestat.*

§. 19. Si Christianos Ethnico licet confociare, non re- cusabunt, credo, *S. Hieronymus*, & industrius admodum in Eum Scholiastes, *Des. Erasmus*, sua nobis testimonia largiri, quae clara satis sunt & aperta. Sic enim Eloquentissimus Ecclesiae Doctor, *S. Hieron. Apol. III. adversus Ruffinum, Tom. III. Oper. fol. 112.* A. scribit: *Hi sunt veri fumi, hae nebulae, quas dum in me criminaris, in te extinctas, dissipatasque per me cognoscis: nec fractam cervicem dejicis, sed majori impu- dentia, quam imperitia, dicis, me negare, quae in promptu sunt: ut cum montes aureos pollicitus fueris, ne scorteum qui- dem numum de tbesauris tuis proferas.* Quem in locum *ib. fol. 114.* B. ita Scholiastes: SCORTEUM NUMUM, i. e. coriaceum. Nam olim in corio signabant. Vnde pro vilissimo numo scorte- um posuit, qui ne plumbeus quidem sit, aut aereus.

B

§. 20. Du-

§. 20. Duplici huic veritatis fulcro liberaliter annectimus *Isidorum*, qui suam hac de re sententiam, *Lib. VI. Etymol. Cap. XVIII.* ita proponit: *Pecunia de pecudibus & proprietatem habebat, & nomen. De corio enim pecudum numi incidebantur & signabantur. Postea a Saturno numus aereus inventus est. Et Cassiodorum*, qui *Lib. VII. C. 32.* haec habet: *pecunia a pecudis tergo nominata, Gallis auctoribus, sine aliquo adhuc signo ad metalla translata.* Et quamvis quidem *Lipsius*, quod dissimulandum non est, in comma posterius notanter commentetur: *Id, quod de Gallis ait, novitium aut inopinatum est, nec habeo, quo firmem;* Inveniet tamen *Lector Benevolus* ap. *Frisium* libro saepius citato p. 14. quo comma illud mascule firmare possit. Caeterum *Suidam* in voce ἀσάρα hujus numi mentionem facere, apud Autores ubi vis est obvium.

§. 21. *Caelius quoque Rhodiginus* nobis attingendus est, Autor sic satis certus, qui, ut multa memoratu dignissima suis *Lectionum Antiquarum* libris complexus est, ita de nostro quoque proposito non plane tacet, dum *Lib. VI. Cap. II. f. 254.* post caetera sic fatur: *In quibusdam Graecorum monumentis ita invenio, Pompitium Numam ex ferro & aere primum cudisse numismata, quae ex proprio Autoris nomine sint Numia appellata, cum ante illum SCORTEA & OSTRACINA pecunia impleret usum. Quod a Tranquillo fuisse literis traditum, iidem produnt Graeci. Legimus tamen alicubi Populo a Numa Congiarium datum, asses ligneos & SCORTEOS &c.* Meretur hic *Job. Boccattus*, ut evolvatur. Diserte enim & apprime ad propositum nostrum loquitur, *Lib. VIII. de Geneal. Deorum, Cap. 1. f. 199. fin.* Apud Italos scilicet longo temporis tractu pecuniam ex pellibus pecudum igne duratis confectam esse.

§. 22. Si

§. 22. Si de populis, quos Arcticum Coelum educavit, nonnihil quoque adjiciendum est, quaerendumque num & apud illos numus scorteus frequentem usum obtinuerit? nemo nos magis erudiet, quam *Olaus M.* qui in *Historia de Regnis Septentr. Lib. VI. Cap. XII. p. 178.* eundem usum diligenter annotavit: *Vetusto*, sic loquitur, *tempore populi Septentrionales commutationibus rerum sincere viventes, feliciores aestimabantur, pecuniae usum ignorantes, quam bodie. Tandem ut rudis populus acquisceret, CORIARIA PECUNIA est permessa, certis argenteis punctis, quibus valor in pondere & numero pensaretur, variata, multisque seculis ap. Gotbos & Sueones inter Regios thesauros excrescens in maximo pretio & Turrium custodia servabatur.*

§. 23. *Liber de Rebus Bellicis*, qui *Notitiae Imperii* subjunctus est, notanter quoque de Numo nostro loquitur. Verba habentur *ibid. f. 202. edit. Pancirolii: Ut emendi & vendendi utilitas, & ut facultas Regiae largitati suppeteret, in aeris usum excultam potius terram & igne solidatam, certis quoque expressionibus figuratam, auro argentoque reposito, usui haberunt: Sed Posteriores fastidientes priscae utilitatis inventum, formati e CORIIS orbes, auro modico signaverunt, quibus Regum munificentia & commutationum necessitas intactis Collatoribus utebatur.* Addidit quoque *Liber* hic schemata hujus monetae, certa ejusdem aliquando usus argumenta.

§. 24. *Donatus* quoque ad *vers. 371. & 372. Aeneid. I. Virgil.*
Mercatique solum facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo,
 tradit, pecuniam ex corio bubulo priscis temporibus fuisse, & a pecore tunc primum duxisse, deinde, adhuc mutata materia, retinuisse vocabulum. Sic enim expositum a quibusdam, dicit, *Virgilianum Carmen: Tantum agri*
B 2 emptum

emptum a Didone, quanti nummi valerent, qui ex corio bubulo cudi potuissent. Quam explicationem, cum pluribus displiceat, imprudenter urgere nolumus. Dignus tamen est, qui ad locum hunc consulatur, *Jac. Pontanus, Symbola VI, f. 737. 738. 739.* Illud fortasse negari vix poterit, Autores illos cum locum hunc Virgilii de numis scorteis explicuerint, persuasos omnino fuisse, datam ante se hujusmodi monetam. Id quod *Pontanus* quoque non incongrue sentit. Sunt praeterea apud *Cerdam* quidam loci, qui commode huc trahi possent, si pateretur institutum. *Vid. F. Licet. Hierogl. f. 272. 345.*

§. 25. *Plato* certe in *Eryxia*, Dialogo de divitiis, de Carthaginensibus non veretur affirmare, fuisse apud illos hunc Numum. Sic enim ait: *Αὐτίκα γὰρ ἔτοι καρχιδόνιοι νομισμαῖσι χρῶνται τοιῶδε. Ἐν δερματίῳ μικρῷ ἀποδέδεται. ὅσον τε σατῆρ τοῦ μεγεθὸς μάλις, ὃ, τι δὲ ἔστι τὸ ἑναποδεδεμένον. ἔδεις γινώσκει, εἰ μὴ οἱ ποιῶντες. Εἶτα κατεσφραγισμένῳ τρίτῳ νομίζουσι καὶ ὁ πλεῖστα τοιαῦτα κερτημένῳ, ἔτι πλεῖστα δοκεῖ χρήματα κερτηθῆναι ἢ πλεονασίῳτατ εἶναι.* Hoc est: Mox enim hi Carthaginenses numo utuntur hujusmodi. In pellicula exigua illigatum est, quanta est stateris magnitudo maxime, quid vero illigatum sit, nemo scit, nisi qui faciunt. Deinde obsignato hoc pro numo utuntur. Et qui plures hujusmodi numos possidet, is plurimas videtur pecunias possidere, & ditissimus esse.

§. 26. Porro & nostra aetate *Lotichius Comm. in Petron. Lib. II. Cap. XVI. p. 300. p.* nobiscum belle consentit: *Antiquitus*, inquit, *numi fiebant è corio, qui dicebantur scortei numi: Graeci σκῶτινα νομισματα.* *Donatus* quoque, pergit, *ea in sententia est, pecuniam olim è corio bubulo constitisse, atque inde dictam pecuniam, quod à pecore vel pecoribus constaretur.*

§. 27. Lacedaemones vero coriaceo usos esse numisma-
te, non docuit nos tantum *Seneca* supra citatus; Sed & *Ni-
col.*

col. Cragius de Rep. Laced. L. III. p. 197. 198. qui post alia haec addit: Corium usum numorum habuisse apud Lacedaemonios, refert Stobaeus Serm. CXLV. ex Nicolao de Moribus Gentium, ubi ait inter alia instituta Lacedaemoniorum, hoc etiam unum fuisse. Ita enim scribit: νομισματι δὲ χρῶνται σκυτίῳ, i. e. Numismate autem utuntur Scorteo.

§. 28. Apud Idumaeos hunc aliquando numum in usu fuisse, praeter Gasparem Sanctium, Autorem habeo neminem. Videfis eundem Comm. in Job. II. v. 4. f. 45.

§. 29. Plures autem Scriptores, iique fide maxime digni affirmarunt, ante Numam in Italia hanc monetam fuisse frequentatissimam Inter quos nobiliores post Caelium Rbodiginum l. c. evolve Calvisium Chronol. p. 64. b. m. Martinium in Lexico sub voce Numus, inibique Plutarchum, Dionysium & Cedrenum suffragantes, nec non Jonston. Polybist. p. 153. f. Hostum l. c. p. 27. 28. & apud Eum Suidae locum rem hanc mire illustrantem.

§. 30. Religio mihi est, Te talismodi pluribus delassare, quapropter, quam fieri poterit, brevissime me expediam, Teque ad alios Autores, qui de materia hac scripserunt, allegabo. Si integrum Tibi fuerit, consule Danbauri ὀρολογίαν, p. 28. Epitomae Dialect. annexam. Cellarii Polit. p. 272. Sanctium Comm. in Job. II, 4 f. 43. seq. Pinedam ad eundem locum Jobi f. 71. Lips. Tract. Posthum. de Re Numaria Cap. II. p. 6. Chokier Tract. de Re Numar. prisca aevi Cap. III. p. 16. 17. Ludov. Savot. de Metall. Antiq. Part. II. Cap. V. p. 60. Hostum l. saepe citato & Frisium im Münz Spiegel C. V. p. 12 sqq.

§. 31. Antonius tamen Augustinus, Dial. VI. Antiq. f. 94. dum statuit, non reperiri numos, de quibus apud Platonem mentio exstat, non loquitur, ut quilibet videt, de Numo Scorteo quolibet, sed de eo tantum, cujus meminit Plato:

Nec negat deinde, unquam datum fuisse eundem; sed suō duntaxat tempore eum reperiri, negat. Quae omnino contra nos parum faciunt.

§. 32. Exempla tandem si desideras eorum, qui necessitate quadam coacti Numum Scorteum confici fecerunt, eadem Tibi neutiquam denegabimus. Rem enim hanc non solummodo mire illustrant; sed vacillantem quoque firmiter confirmant. Nec mirabilia tantum sunt; sed notatu quoque quam dignissima.

§. 33. Ita *M. Anton. Coccius Sabellicus Ennead. IX. Lib. IV. f. 364. b. 365. a.* de Dominico Michaële, Duce Venetorum, qui Anno a N. C. 1122. cum Classe Veneta in Syriam trajecit, maritimaque hac expeditione annos duos & dimidium peregit, recenset sequentia. *Asiatica illa expeditione, cum Classis procul domo esset, pecuniaeque defectu stipendium reddinequiret, remigibus & sociis navalibus ex loro pecuniam publica nota signavit, eamque pro aurea & argentea certis distinctam Characteribus, in stipem diu Navalibus numeravit turmis, pollicitus fore, ut mox domi pro alutinis aurei & argentei pari numero habentibus repraesentarentur numi. Atque ita post reditum publica est omnibus fides persoluta. Quae res ut monumentum esset ad posteros, aurei numi dicuntur Gentilibus signis ab eo illati.*

§. 34. Eadem propemodum ratione Fridericus II. Romanorum Caesar, qui Anno Salutis 1212. Imperium auspiciatus, 38. Annorum Imperator e vivis excessit, in obsidione Parmensi, cum pecunia destitueretur, de Corio moneiam finxit, quam postea aureis singulis fixe Ducatis redemit. Autorem hujus rei habemus *Parisium* Historicum, Friderico huic coevum, ut annotavit *Cluverus*, quem vide *Epit. Histor. Univers. p. 569. b. & 571. b. Calvisium Opere Chronol.*

not. p. 995. b. p. Sachsen in der Kayf. Chron. Part. IV. f. 42. a. p.
ex Hedionis Chronic.

§. 35. Non rara quoque mentio in Chronicis quibusdam Galliae, Ludovici IX. Galliarum Regis, qui cum gravissima pariter & sumptuosissima bella cum Africanis gereret, ab iisdemque captus teneretur, dicitur interea temporis Gallia similiter usa esse Numo Scorteo. Confer *Fris. im Münz-Spiegel.*

§. 36. Nos tandem Verbis Nicolai Cragii: *Sed hoc videtur aut vetustissimae consuetudinis, aut extremae necessitatis fuisse,* (confer *Savot. de Med. Antiq. Part. II. Cap. V. p. 64.*) pioque voto, post actas Deo gratias, ut Summus Rerum Arbiter postremum hoc a nobis Clementer averruncare velit.

CONCLVDIMVS.

SVPERPONDIA.

- I. Quaeritur, Num formulae, sequentes; Ludere de alieno corio. De Corio satisfacere. Corium perdidi. (vide de his Caelium Rhodigin. Lib. VIII. Lect. Ant. Cap. VII. f. 378.) Item: (quam Nevizanus Lib. I. Sylv. nupt. p. 31. b. habet) De alieno corio voluerunt facere laticorrigias, explicari possint de Numo Scorteo?
- II. Futurum Coniunctivi Activae Vocis ap. Latinos perperam in prima & secunda plurali penultima longa pronunciat. Vide Bonciarü Epistolae p. 257. 261. 335. 351.
- III. Conclusio est pars Syllogismi.
- IV. Ens quatenus Ens non est Objectum Metaphysices Adequatum.

V. Prae-

V. Praeter Materiam EX QUA, IN QVA, & CIRCA QVAM,
datur quoque Materia DE QVA.

VI. Scaphismus in Republica Christiana, inter Christianos
non est tolerandus. Videfis Urfini Acerr. Philol.
lib. III. n. 148. p. 318.

DE Scorteo dum differis numismate.
Haud Scorteum Tui ingeni donum exferis.
Ex corde grator, docte PARSELDI, intimo,
Precorque juxtim, per Tuam nunquam aurea
Vitam moneta defit, atque argentea!

Suo PARSELDIO sic gratul.

D. Samuel Lange.

FINIS.



coll. diss. A. 70, misc. 7